



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu**

**Estrix, Aegidius**

**Moguntiaë, 1679**

Propositio IX. Opis conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42472**

tium epistolâ nonâ, ubi cum neque tractatus, neque disputatio, neque caput, neque alio nomine citetur locus auctoris, nos quoque ille accusator, cujus potissima eruditio sita videtur in Epistolis Montaltii, & notis Wendrockii nihilo plus habuit de auctore illo Sanchio, aut loco auctoris, quod exprimeret. Ne igitur operam perdam expectandum intelligam, quis sit ille Jesuita Sanchius, quo loco, quibus verbis teneat doctrinam propositionis, & tunc porro videro, an sit Jesuita ille Sanchius, an Minorita, an Eremita, & quid denique doceat. Magis exploratum mihi est autorem propositionis esse Joannem Sanchium, quàm Jesuitam Sanchium. Sed pergamus.

### PROPOSITIO IX.

**O**pus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali. Auctor propositionis rursus citatur *Jesuita Sanchius*.

Hic iterum hærerem, ut modo, nisi accusator in suo promptuario invenisset, dedissetque nobis illius *Jesuitæ Sanchii* accuratè citatum locum *disp. 23. n. 25.* atque hinc didicissem illum, quem dicit *Jesuitam Sanchium*, esse re ipsa Joannem Sanchium Abulensem S. Theol. Doctorem, Regium Capellanum in

regali conventu Mantuæ Carpetanæ Presbyterum, non Jesuitam, sed sæcularem. Quam ridiculos facit homines malevolentia ! Jesuitas accusat omnes ad prop. 62. & alibi : sed pauci erant tanto odio : compellit igitur intrare, ut plures accusare possit.

Citatur mox Escobarius ; sed nescit accusator, quo loco : de hoc, autumo, tacuerunt Montaltius & Wendrockius : juvandus itaque est à me.

Escobarius tract. 7. exam. 9. c. 5. n. 53. sic docet : *conjugalis actus bonus est, si ob prolem fiat, vel ad debitum reddendum : ob alios fines veniale non excedit : v. g. ob delectationem, sanitatem & similes.* Videturne approbare doctrinam nuper damnatam ; *opus conjugii ob solam voluptatem omni penitus caret culpâ, ac defectu veniali ? estne tantundem, veniale non excedit, ac veniale non est ?*

Astutius denique, ne æquè facilè convinci possit de imposturâ, convertit se ad conciones cujusdam P. de Meyer, nuper vitâ functi, quas ipsas admordet plebeio convitio, gravis ipse Ecclesiastes, ut apparet, ex Wendrockii atque Montaltii disciplina institutus. Ego conciones optimi P. de Meyer non audivi, neque eas ipse luce donavit, ut legere possem : ac denique de concionibus illis graviore testes requiro, quam hunc hominem, in paucis ad-

adnotatiunculis ad has propositiones tot in-  
posturis mihi notum.

### PROPOSITIO X.

**N**on tenemur proximum diligere actu intern-  
& formali.

### PROPOSITIO XI.

**P**raecepto proximum diligendi satisfacere poss-  
mus per solos actus externos.

Harum propositionum autores citat Jesu-  
tas Lovanienses in suis Thesibus ad disputatio-  
nem propositis.

Theses illas vidisse potuit accusator : an in-  
tellegerit nescio. Ego scio, me identidem  
Theses istius generis & à Jesuitis, & ab aliis,  
quibus parcat odio Jesuitarum, sic audisse de-  
fendi, ut aliud sibi non vellent illi Theologi  
quam dari quidem *praecceptum speciale* exhibendi  
proximo quaedam officia; legem tamen illam  
non obligare ad *specialem amorem* internum;  
quod ipsum suis Thesibus identidem expresse-  
runt; ut quæstio præscinderet, ex quo alio  
motivo deberent proximo exhiberi illa officia;  
an scilicet ex motivo charitatis erga Deum,  
aliove honesto fine. Nam certe quidem reban-  
tur, præcepto caritatis erga proximum sa-  
tisfactorum, qui pauperi eleëmofynam largi-  
retur ex purissimo Dei amore; ita ut alius  
proximi *amor specialis* non interveniret præter  
hunc